

19
PROTOSCHOLARCHA OPTIMO,
VIRO,
PERMAGNIFICO, GENEROSO,
MAXIMEQVE STRENVO, DOMINO,
DOMINO
HEINRICO
RHODEN,

PRAESIDE GRAVISSIMO,
ECCLESIARVM ANTISTITE PRIMARIO;

SPARTAM SCHOLARCHALEM,

SENATVS PERMAGNIF. AVTORITATE

A. O. R. MDCCLI D. X DEC.

COLLATAM,

VIRO,

GENEROSO, NOBILI ATQVE AMPLIS-

SIMO, DOMINO,

DOMINO
ALEXANDRO
VNTERBERG,

CENSORI VIGILANTISSIMO,

GRATVLATVRVS,

NVMOS HISTORIAM ATHENAEI ELBINGENSIS

ILLVSTRANTES BREVI DELINEAT STYLO,

MVSARVM INTERNVNTIVS,

M. IACOBVS WOIT,

PROF. ORD. MATHEM.



QUOT NON, SENATVS ELBINGÆ PERMAGNIFICI, affectus in *Musas* incentivi
prostant documenta, quem pro *Sua* in litteras propensione omni
declaravit occasione atque tempore. Taceo jam PATRES PATRIÆ, me-
ritis in rem & publicam & litterariam quondam immortales, primos
in Prussiæ oris *Musas* huc usque peregrinantes, haud multo post re-
staurata per Lutherum sacra, ad *se* invitasse, invitatas suscepisse,
susceptas fovisse, foras majoribus subinde exornasse & augmentis & incrementis. Nihil
dicam de *Sede* commodissima, amoenissima, de qua *Novis* prospexerunt *Advenis*, quamque
male materiata toties quoties redintegrarunt; de *Bibliotheca* sat ampla, quæ ampliores in
dies capit accessiones; de *Legibus* Musarum impertitis *Sacrario*; de *Doëtoribus* eruditionis
æque ac vitæ integerrimæ fama *Celeberrimis*, quos lautis admodum aluerunt stipendiis, ut
Suis Minervæ Pullis & divinarum & humanarum scientiarum lac instillarent purissimum.
Nec commemorabo *Examina Annuæ*, *Actus Solemnnes* atque *Beneficia*, Docentibus non
minus, quam Discentibus, attributa. a)

Sufficiat in præsentia *Numorum*. strictim tamen, meminisse, quæ rei litterariæ
STATORES MAXIME GENEROSI in Actibus Solemnibus diligentia atque industria *Alumnis* di-
stribuerunt incitamenta.

Referuntur optimo jure hunc in censum *Numismata*, *Gymnasiarchis* quondam
SPRENGELIO, ISENDORFIO & NEANDRO immortaliter meritis, atque THOMA ROTO, Lycæi gu-
bernacula summa laude tractante, in *Actu Solemni* Ao. 1595 d. 17 Aug. dispensata. Licuit
mihi haud ita pridem ejusmodi oculis usurpare archetypum ex argento puro præparatum,
cujus diameter pollicem unum tertiamque illius partem mensuræ Rhinlandicæ æquabat, &
pondus unciam unam cum duodecima ejusdem parte. Lateri illius adverso levigato arti-
ficis manus lineis octo inscripserat scienter; SCHOLA ELBINGENSIS TRITAGONISTÆ IN ACTIONE
NAAMANIS ANNO DOMINI NOSTRI 1595 17. AVG. In averfa inclusa quadrato circumsepto
laureola variisque exornato decoraminibus legebatur lineis tribus; LAVDATA VIRTVS CRESCIT.

Narravit mihi sæpe GOTTFREDVS ZAMEHLIVS b) Vir Consularis quondam, cujus
merita in Patriæ Historiam, inprimis litterariam, fama loquetur anus, se similis omni
ex parte monetæ fuisse possessorem, nisi quod adversum latus; DEUTERAGONISTÆ & aver-
sum pro apophtegmate habuerit; NVTRIT HONOS ARTES.

Quibus ex allatis satis superque patescit, similem etiam Numum, mutato tamen
procul dubio lemmate in latere averso, eodem in Actu PROTAGONISTÆ esse donatum, qui vero
vel temporum injuria periit, vel in carcere ignoto latitat inclusus. Utrum autem triga
hæc, omnem numismatum numerum expleat, uno eodemque tempore distributorum, an
plures omnino fuerint, ex documentorum defectu difficile est assertu. Id tamen, eidem
fidem

a) De his obiter delibutis conf. Celeb. Dom. Reët. Langii Collegæ Colendisissimi Historisches Denkmahl der dreymahl
funfzigsten Jubelfeyer des Gymnasii in Elbing; B. Reët. Seyleri Diatyposin Bibliothecæ Elbingensis publicæ; Ephr.
Prætorii Athenæas Gedanken; Felicia sub conjunctione Burggravalis & Scholarchalis dignitatis Gymnasii Patrii
Fata in Burger. olim Dn. Dan. Conradum a me edita 1735; atque instar omnium Gottofr. Zamehlîi Comment. de
rei litterariæ scholarumque illustrium in Borussia initiis, incrementis & vicissitudinibus, quæ Cel. quondam Seylerus
suis Annotationibus mirum quantum auctum, digniorem reddidit, ut publicam aliquando adspectat lucem, nec non
Ejusd. Zamehlîi. Commentariolum MSt. de Gymnasio Elbingensi deque ejusdem Rectoribus.

b) Locis supra citatis.

fidem si habemus ZAMEHLIO certo est certius, non in hoc solum Actu ejusmodi congraria esse dispensata, sed MÆCENATES Municipii nostri similem quotannis in Musas exseruisse liberalitatem. Quid vero in supra dictis *Protagonista*, *Denteragonista* & *Tritagonista* lexes indigent, haud difficilis res est enucleatu, si tenemus *Actus Solemnes*, sigillatim *Lectiois Legum* priori ævo, non nisi *Examina* fuisse magis *Solemnia*, in quibus vel Rector vel Conrector Gymnasii Inquilinos ex classe in classem translocatos, *Nutritoribus Per-Magificis* atque *Civium Honoratiorum Coronæ* sistebant, confabulationem aliquam de studiis & profectibus suis instituentes c). Quam qui spartam cum gloria ornassent & cum aliis in ea arena exercitatis victores de palma certassent, illis *Brabeutæ Munificentissimi* ejusmodi numum in diligentia obtulerunt didactrum. Atque variatæ in singulis inscriptiones forte etiam causam præbuerunt, cur liberalis *Patronorum* manus hos ex argento cæato fieri præoptarit. Quo tandem verba in *Actione Naamanis* collineent, facile est subodoratu, dum confabulationes in Actu illo institutæ, Naamanis historiam ex 2 Reg. V. dubio procul fufius dilucidarunt.

Venio nunc ad *Magnum* quondam LEHWALDVM *ProCos.* & *ProtoSchol.* in Ephebeum Drusiæcum indulgentissimum, cujus munificentia singulari tria accepta ferimus numismata, quæ propriis ipse sumptibus curavit excudi, utrum vero eodem, an diverso temporis momento, non æquæ mihi est, quod certo asseram. Dubium enim in hoc ipso me facit, quod duobus ex his majoris moduli numis ultimus æræ numerus non, ut reliqua, est excusus, sed in quibusdam vel plane deest, ut Athenæi Gedanensis decus singulare *Cel.* HANOVIVS testatur d) vel postea, diversus tamen, est insculptus, id quod archetypi mihi ad manus aperte loquuntur. Hoc interim dubio caret omni, hæc tria congraria in Encæniis Gymnasii Ao. 1681 d. 27 Nov. a ficto quodam Apolline, Mercurio cuidam itidem mentito, nuper excusa, esse monstrata e).

Primum horum ex argento purissimo conflatum *Numisma* habet diametrum pollicis unius cum quinque ejusdem particulis duodecimis & pondus semiunciam absque una parte octava. Adversum latus in medio lineis quinque sistit inscriptionem; MNEMOSINE ENCÆNIIS SCHOLÆ ELBINGENSIS CONSECRATA Ao. 1680. Ubi in transitu monendum ziphræ esse infixam, non excusam. Huic superne forma perminori Insignia Elbingæ super sunt imposita, inferius Insignium Nobilis Familiæ Lehwaldianæ pars potior laureola utraque a parte ornatorum conspicitur, quibus *Vir* hic *Præ-Consularis* vivus fuit usus. Hæc omnia sequens ad marginem ambit circumscriptio; NOBILISSIMI DN. MARTINI LEHWALD SCHOLARCHÆ*. Aversum conspiciendum porrigit Parnassum uno saltem vertice exurgentem & contextum maxima sui parte volumine aperto, instructo quatuor ligulis, in cujus pagina dextra expressum; INGENS, in sinistra; THESAURVS, & circum circa ad marginem; HONORVM ET BONORVM. Sub radicibus tandem montis perpusillo scripturæ genere litteræ I. H., nomen forte sculptoris indicantes, leguntur.

Alterum ex simili metallo excusum, diametro gaudet pollice uno cum quatuor fere ejusdem particulis duodecimis atque pondere una parte octava excedit semiunciam unam. Adversum ejus latus antecedenti ex assè est conforme, nisi quod in æra loco zyphræ unitatis incusus est numerus, cui asterismus a dextris adjectus. Aversum rursus equidem Parnassum adumbrat, gemino tamen vertice superbientem, ex cujus sinistro in dextrum, equus Musarum alatus, Pegasus tentat saltum. Cætera liber nempe apertus, absque tamen ligulis, montem obtegens, ejusdem inscriptio atque marginalis circumscriptio cum paulo ante descripto numo omni convenit ex parte.

Tertii denique *Numi* ex auro æque ac argento purissimo excusi diameter adæquat pollicem unum cum duodecima illius parte, pondus vero aurei duos solidos ejusdem metalli, atque argentei alteram semiunciam partem & quod excedit f). Exhibet latus illius adversum Insignia Nobilis Familiæ Lehwaldianæ cum omnibus suis exornationibus, quibus, ut supra monitum, Noster quondam LEHWALD, in vivis, fuit usus. His supra imposita leguntur; NOB. D. M. LEHWALD PROCOS & SCHOL ac infra adjecta; DONVM SCHOLÆ ELBING. Aversum ostendit Cor cum alis expansis, inter quas illius orificio liber inititur apertus, quæ superne divinæ providentiæ oculo per nubes irradiantur. Parti denique

c) Conf. præter supra citatum Zamehlum etiam M. Jac. Boergeri Program. in Legum Encæniis Ao. 1681 & 1682.

d) Conf. der Preussischen Sammlungen III Bandes, 12 Stück, pag. 776.

e) Conf. M. Jac. Boergeri Progr. Encæniorum Gymnasii Ao. 1681.

f) Quæ sit causa discrepantiæ, cum mensuræ, tum ponderis in hoc æque ac antecedente numo inter me & Cel. Hanovium loco supra citato, hujus loci non est fusc inquirere, sufficit interim me cuncta ad archetypos curatissime examinasse.

denique cordis imæ adjectum a sinistra; Ao. a dextra; 1681. Omnia tandem hæc ad marginem ambit lemma; COR RECTVM INQVIRIT SCIENTIAM.

His coronidis loco jure meritoque est annumerandus *Numus ille Jubilæus*, quem b. SEYLERVS, solidæ eruditionis laude post funera etiam *Celeberrimus* Ao. 1737 in *Actu Eucharistico*, in memoriam *quinti ab Urbe Regia Elbinga condita Seculi in Gymnasio Patrio habito*, a se inventum, ut numismatisformæ Emblema propinavit, paulo post vero ISRAEL POSELGER, *Civis Honoratior*, præmatura nimis morte bono Reipublicæ nostræ ereptus, opera sua *Norinbergæ*, partim ex argento puro, partim ex ære cyprio, partim ex stanno anglicano affabre admodum excudi curavit. Diameter ejus capit pollicem unum cum quatuor illius particulis duodecimis & pondus argentei quam proxime ad alteram partem uncix accedit. Ut fusiori ejus explicationi mihi inhærere non sit opus, fecit mihi otium, *Vir b. m. SEYLERVS Clar.* quippe qui eandem idiomate germanico Actui supra dicto typis exscripto adjecit. Ast operæ tamen erit pretium, potiora illius momenta hic adjicere. Adversum nimirum latus proponit oculis & priorem & hodiernum Municipii nostri situm una cum foundationis anno, nimirum 1237, oculo divinæ providentiæ desuper collustratum, hac adjecta inscriptione; HOC DVCE ET AVSPICE CREVIT, atque in infima ejus parte; ELBINGA. Tum in prospectu cernitur Urbis tractus, tam montanus, quam campestris, nec non Deus marinus, indicans Urbem esse Maritimam Hanseaticam. Aversum latus eandem sistit urbem sub forma foeminæ supplicis orantis, quæ ad aram, cui applicatæ sunt a sinistra Fasces Consulares, a dextra Insignia Elbingensia & insculptum; DEO CONDITORI ET CONSERVATORI, vota persolvit, quippe quod & inscriptio & subscriptio combinatæ indigitant; GRATA SIC MENTE: DrVsls IVbILæVM natIVItatIs sVæ qVIntO CeLebrat. d. 28 Nov.

Ast quid immoror longius antiquis? Idem adhuc *MVSAGETIS Per-Magnificis*, Reipubl. gubernacula pari vigilantia, pari prudentia nostra tractantibus ætate, est animus, idem affectus, eademque propensio *Suum in Palladium*. Nescit enim semel innata a *Majoribus* liberalitas stare. Loquuntur ædificii scholastici tecta non minori cura, quam sumptu præterita ætate restaurata. Loquuntur indefessæ *PROCERVVM* curæ, ut integer semper & Doctorum sit numerus, & Novelleti totius status. Loquuntur *Munia Scholarchæ* a *Viro Per-Magnifico, Generoso, Maximeque Strenuo* JOHANNE JACOBO BRACKENHAVSEN, ad *Virum Generosum, Nobilem atque Amplissimum* ALEXANDRVN VNTERBERG unanimi PATRVN CONSCRIPTORVN suffragio hisce devoluta diebus.

Omnibus Musæ incedunt lætitiis ob Numum prorsus inæstimabilem *SENATVS Per-Magnifici* liberalitate sibi datum dono. Virtus enim *Tanto in Viro* conspicua, pretiosissimo potior metallo est. Recondunt munus hoc in gazophylacium non vulgare, sed cordium suorum, devotissima semper recolendum veneratione.

Aggredere ergo, *VIR GENEROSE*, felici sidere *Novum* hoc cum Musis *Consortium*. Gaude *Nova* hac *Sparta*, suscepta a *Te*, non ut onus, sed ut oneris relaxatio, curis defatigato publicis. Quod enim *Tibi*, curis Reipublicæ depositis otium est dulcius, quam litterarium. Quis in secessum *Tuum* amoenissimum excursionum æstivalium scopus est alius, nisi ut ad litteras redeas ob publica sepositas negotia? Ibi nata translatio *Dialogi de Recreationibus*, *Dablancurtii* ex modestia *Tibi* innata, *Tua* premens scrinia, nec non similia conamina litteraria. Quid itaque non sperent in futurum *Camoenæ Nostræ* de *Te*, *Musageta Exoptatissimo*, qui jucundam semper cum Musis aluisti consuetudinem? Assurgit *Tibi*, *Parnassi Drusici Chorus* omnis, gaudium testaturi sincerissimum, affectum incentivum, venerationem omnigenam. Gratulantur *Tibi Dignitatem Scholarchalem* fataque apprecantur non nisi felicissima. Ardentissima denique pro haud interrupta *Tua*, *Vir Generose*, *familiaque Tuæ Splendidissimæ* incolumitate, me *Interprete* qualicunque, *Cliente* humillimo, nuncupant

Vota.

